

suam inspectionem ab eo. Unde nisi miraculose detur lumen supernaturale, vincens propriam, et naturalem comprehensionem, non est revertibilis. Quod autem dicitur posse Angelum ex inadæquata comprehensione principiorum se determinare, respondetur quod non determinaret se tunc plene, et perfecte, sicut loquimur in præsentia, et sicut debuit facere in re summi momenti, sicut est determinare sibi finem unde omnes ejus actiones pendebant, et quia fuit circa propriam excellentiam, et circa seipsum. Se autem plene comprehendit. Unde si inadæquate cognosceret res illas, posset retractari et non curreret casus præsens.

XXX. Secundo, arguitur contra nostram resolutionem, quia Angelus facta electione circa aliquod objectum, manet liber, et non necessitatus ad malum: ergo non manet immobilis, et inflexibilis. Consequentia patet, quia non stat ista inflexibilitas, et immutabilitas sine aliqua necessitate voluntatis: si enim necessitatus non manet, nihil prohibet resilire. Antecedens patet, tum quia eodem modo se habet voluntas Angeli post electionem, et determinationem atque antea, tam ex parte objecti voluntatis, quam ex parte subjecti, seu potentiae: nihil enim immutatum est, et ablatum: ergo manet eadem libertas; tum quia circa eadem objecta peccat sicut ante, teneturque converti ad Deum sicut ante electionem: ergo manet liber; tum quia, ut late prosequitur Suarez ubi supra, non est unde proveniat ista immutabilitas, et inflexibilitas post deliberatam determinationem; nec enim provenit ex actu præterito, aut ex aliqua naturali proprietate, aut ex habitu superveniente, nihil horum immobilitat, quia libertatem non tollit, sed libero modo operatur. Et urget hic

ratio, quia ideo possunt Angeli eligere indifferenter, et libere a principio, quia habent perfectionem cognoscendi objecta cum indifferetia, hæc autem perfectio eodem modo manet ante, et post electionem: ergo æque libere potest ante, et post operari circa talia objecta.

Confirmatur, quia totum fundamentum D. Thomæ stat in hoc, quod Angelus immobiliter, et sine discursu procedit in his quæ intelligit; et sic æque immobilitatur circa principia, et circa conclusionem, finem et media. At hoc solum est verum circa naturalia: nam supernaturalia non comprehendit Angelus, et sic non procedit immobiliter circa illa, sed discursive, peccatum autem Angeli fuit circa supernaturalem finem recusando illum, nec potuit circa legem naturalem pure, et secundum se primo peccare, ut supra dictum est: ergo ruit totum fundamentum D. Thomæ.

Confirmatur secundo, quia Angeli ante finitam viam semper poterant mutari, alias ante terminum viæ essent plene obstinati, cum tamen hæc sit poena damnationis, sed ante viam finitam plura peccata commiserunt: ergo immediate post primum peccatum nondum sunt redditi inflexibiles, et tamen primum peccatum ex plena deliberatione commiserunt.

XXXI. Respondetur illud argumentum de libertate solvi debere, etiamsi non ponamus inflexibilitatem intrinsicam, et ex connaturali modo operandi, sed extrinsecam, et solum ratione status, sicut fatemur in omnibus damnatis: damnati enim modo peccant, et tenentur operari bonum, et converti ad Deum, et tamen sunt inflexibiles in malo, licet ratione status. Per accidens autem est ad libertatem si illa tollitur, quod ex causa intrinseca vel extrinseca tollatur. Ergo quantum ad illud pun-

ctum libertatis idem quod de omnibus damnatis dicitur ratione status, nos dicimus de Angelis, ratione etiam connaturalis modi operandi. Fatemur ergo dæmones post electionem determinatam, manere in sua libertate, sed non in libertate ad retractandum, sed ad remanendum in eo quod semel voluerunt; manent enim inflexibiles ad continuandum id quod semel libere voluerunt, non ad necessario volendum. Unde illa continuatio inflexibilis, est continuatio liberæ volitionis, et illa inflexibilitas per voluntariam, et liberam adhæSIONEM causata est; et sic manet libertas prima in tota continuatione. Unde dixit D. Thomas hic art. II, in solutione ad primum quod: « Habent liberum arbitrium Angeli, sed secundum conditionem naturæ suæ, » id est, non retractabile, sed permanentis, et continuatæ volitionis, quæ hoc ipso quod continuatur ex prima libera volitione, semper manet libera, quia ex libertate originata est, et solum secundum quid manet necessaria, scilicet ex suppositione quod libere voluit, non manet retractabilis propter perfectionem talis naturæ, manet tamen continuata ex priori libertate. Sufficit autem ad libertatem, quod pro illo instanti quo actus fit, libere fiat, possetque non fieri, non autem requiritur quod pro omni statu, et tempore possit retractari. Non est autem de essentia libertatis quod sit mutabilis postquam perfecte quis deliberavit, sed id pertinet ad imperfectionem defectumque naturæ: nam in Deo per naturam datur summa immutabilitas, et in beatis per gratiam, et in illis non aufertur libertas; et sic diabolus, et damnati peccant modo, quia continuant primam volitionem malam, quæ virtute manet in reliquis actibus. Et licet non possint reverti ad bonum, hoc nihil eis diminuit de culpa, tum

quia non ex meritis objecti, et necessitate ejus ad hoc determinantur, sed ex modo operandi Angeli comprehensivo, et totali, cum quia voluntarie in talem statum se proiecuerunt, sicut peccat ebrius de præsentia, quia voluntarie se posuit in tali statu, quæ est solutio D. Thomæ q. XVI de malo, art. V ad XI.

Et quando instatur, quia nihil amisit liberum arbitrium posita electione quod ante habuit, nec aliquid acquisivit de novo, quod ante non haberet, et petitur ut explicemus quid sit illud quod de novo additur voluntati, ut sit inflexibilis, et immutabilis, respondetur hoc ipsum inquiri, et proponi a D. Thoma in quæstione XXIV de veritate, art. X, in argumento XIV: « Quia si peccatum, inquit, causat obstinationem, vel hoc facit subtrahendo vel superaddendo. Non subtrahendo, quia naturalia in dæmonibus manent integra: non superaddendo, quia illud quod superadditur cum sit accidens, oportet quod insit per modum recipientis, et sic cum liberum arbitrium sit flexibile ad utrumque, non redditur per hoc immobiliter inhærens in malo. » Ecce quod tam late inquirat Suarez, quid addatur libertati Angeli ut reddatur inflexibilis, brevi hoc argumento completitur D. Thomas. Respondet autem sic ad XIV: « Dicendum quod peccatum libero arbitrio adveniens non adimit aliquid essentialium, quia sic species liberi arbitrii non remaneret, sed per peccatum aliquid additur, scilicet unitio quædam liberi arbitrii cum fine perverso, quæ ei quodammodo naturalis efficitur. Et ex hoc necessitatem habet, sicut, et alia quæ sunt libero arbitrio naturalia. » Ita D. Thomas. Quare respondemus breviter remanere inflexibilem voluntatem ex ipso connaturali modo operandi, quia sicut per sua naturalia principia immobiliter ad-

hæret fini, ita si in ipsis principiis eadem indivisibili attingentia extenditur ad determinandum se circa media, illa nova extensio, seu unio ad illud objectum facta sic, id est, in ipsismet principiis, eadem immobilitate tangit principia, et extenditur ad media, et hæc nova extensio sic facta reddit immobilitatum Angelum, sicut supra explicatum est. Et ad rationem quæ urgetur, quod objectum eadem perfectione intelligitur, et cum eadem indifferentia ante electionem, et post, distinguo; cum eadem indifferentia, et perfectione in eodem statu, et dispositione sicut ante, nego; cum diverso statu, concedo; sicut etiam in omnibus damnatis tenemur dicere, quod ratione status damnationis objecta apprehenduntur quidem ut indifferentia, quia circa illa peccatur, sed sub diversa dispositione, et statu. Diversa autem dispositio stat in hoc, quod illud objectum de se indifferens, et contingens ex meritis suis, accipitur ut indutum quadam ratione formali immobili, quatenus accipitur ut convenientia, et congruentia dispositioni hujus subjecti: juxta convenientiam enim ad subjectum diversimode sumitur convenientia, vel inconvenientia rei appetibilis, quæ ex dispositione subjecti habet variari. Ex eodem autem respectu sumit immobilitatem, et determinationem, quia illa dispositio subjecti per ordinem ad quam induit convenientiam, est dispositio determinans, et afficiens voluntatem, non ex rationibus particulariter, aut per discursum acceptis, sed in ipsa immobili comprehensione principiorum. Et sic objecta de se indifferentia, quatenus sic movent ex vi principiorum se extendentium ad manifestandam illam determinationem, libertatem servant, quia indifferentia sunt, oriunturque ex libera determinatio-

ne voluntatis, et inflexibilitatem habent, quia sub tali determinatione movent. Illa autem determinatio, quia in sui initio libera fuit, non tollit libertatem, sed continuatio ejus continuat illam, quia actus liber est qui continuatur: solum autem ex suppositione, et secundum quid necessatur, sicut ex suppositione intentionis efficacis, electio unius mediis simpliciter libera est, licet ex suppositione sit necessaria, sic ex suppositione primæ determinationis liberæ tali comprehensione factæ omnia secuta determinata, et necessaria manent, sed non simpliciter, sed ex suppositione.

Ad primam confirmationem respondetur, quod Angelus peccavit circa finem supernaturalem recusando illum ex libera adhæsione ad finem naturalem, et propriam excellentiam quam comprehensive cognoscebat; unde per eandem comprehensionem qua finem naturalem attingit, motus est ad recusandum supernaturalia, et claudendum oculos suos ne videret illa modo affectivo, quatenus ex gratia danda erant: et sic modo immobili circa recusationem supernaturalium processit, scilicet ex naturalibus principiis, quæ utique comprehensive attingebat, et circa quæ immobiliter procedebat. Unde in recusando supernaturalia immobiliter se habuit, quidquid sit, an in attingendo res supernaturales comprehensive procedat. Quod vero non potuerit peccare immediate contra legem naturalem, verum est, quia non potest immediate recusare, et abjicere illam, potuit tamen recusare supernaturalem, et mediate naturalem, ut supra diximus. Secundo, addo quod in cognoscendis rebus supernaturalibus licet Angelus non procedat comprehensive ex parte rerum cognitarum, quia nec evidenter, sed obscure per fidem cog-

novit in via res supernaturales, tamen ex modo attingendi sine discursu ea cognoscit, et eodem actu, et attingentia fertur in totum quod sibi conceditur de illis attingere, eo quod gratia superveniens alicui naturæ non deprimit, neque destruit modum ejus connaturalem, et perfectum, sed potius elevat, et perficit: inconveniens est enim quod natura Angeli, quæ ex sua perfectione, et modo connaturali petit non discurrere, ex modo supernaturali quo elevatur reddatur deterioris conditionis, quia deprimitur ad modum cognoscendi discursive, qui est valde imperfectus. Quare circa supernaturalia Angelus non discurret; et sic eadem attingentia, et immobilitate attingit finem, et media, principia, et conclusiones, sicque ex ipso modo operandi petit etiam immobilitari post electionem determinatam in bono.

XXXII. Quod si instes: Ergo confirmatio in bono, et perseverantia in Angelo non est ex gratia Dei, sed ex connaturali modo operandi, aut saltem non est distincta gratia a prima operatione, et electione, cum tamen perseverantia in bono sit specialissimum donum Dei præter gratiam primam, respondetur fuisse in Angelo specialissimam gratiam, et distinctam a prima in qua creati sunt: etenim post primam operationem ex gratia Dei in primo creationis instanti, cum cœperunt Angeli se determinare, et movere, et quidem in sua naturali excellentia sistentes clauserint oculos, et recusaverint finem supernaturalem ex gratia habere, manifestum est, quod fuit ex luce, et viribus gratiæ quod alii sic fuerint confortati, ut elegerint subiecti fini supernaturali, et ex gratia Dei obtinere regnum cœlorum, quæ gratia tanta fuit, ut quadam connaturalitate ad se traxerit naturam eorum, eamque firmaverit, inflexibi-

li, et quasi connaturali modo operans in illis, non connaturali modo, id est, debito, sed connaturali, id est, firmo, et immobili, eo quod accommodavit se modo operandi illius naturæ in immobilitate. Et hoc totum fuit ex vi ipsius gratiæ distinctæ a prima, seu distincto beneficio habitæ, licet continuatio fuerit primæ usque ad perseverantiam finalem: perseverantia enim continuationem hanc importat, sed distincto beneficio, quia poterat Deus permittere interruptionem, ut in dæmonibus, sed dedit gratiam efficacem, ut continuarent, et continuando perseverarent, et confirmarentur, licet etiam in hoc juxta modum illum naturæ in operando accommodaverit se.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod Angelus ante terminatam viam non fuit adæquate redditus inflexibilis, et in facto esse, quia non fuit plene, et adæquate terminatus actus quo deliberabat in peccato, et concludebat illud instans. In quo licet plura fuerint peccata, omnia tamen subordinabantur uni fini, et rationi formali, sub qua fiebant, et integrabant totum illud instans. Unde in quolibet illorum erat illud instans, et ille integer actus inadæquate; et sic erat inflexibilitas quasi inadæquate, et nondum plene consummata, quia actus ille peccandi sic eligebat determinatum finem, quod non sistebat in eo, sed concomitanter omnes alios actus, et peccata, quæ illi subordinabantur ex vi talis electionis. Unde totum illud instans cum omnibus illis peccatis debet reputari ut una integra causa inflexibilitatis: modo autem peccata, quæ ab eis committuntur, jam supponunt inflexibilitatem consummatam in toto illo instanti, non illam constituunt.

XXXIII. Ultimo arguitur, quia ju-